

procedit in re communi cum pupillo: nam habens fundum communem cum pupillo, retinet servitatem debitam fundo, etiamsi ea non utatur, ratione pupilli. Textus est in l. *Si communem*. § 1. ff. *Quemadmodum servitut. amittant*. Sicut enim non currit præscriptio contra pupillum, ita nec contra majorem habentem rem communem cum pupillo; idque ratione communionis, atque indivisibilitatis. Unde in individuis potest quia consequi per socium, quod per se non potest; c. *Sacris*. 12. de *Sepultur.* et cap. un. juncta Glossa et Abbas cit. c. *Quamvis*. n. 14. h. t. apud quos nonnullæ aliæ fallentiæ dictæ regulæ videri poterunt.

§ VI.

DE EXECUTIONE SENTENTIÆ.

160. *In actionibus, seu causis civilibus, sententia non illico est executioni mandanda, sed expectandum saltem per decem dies.* — Quæritur I. Quo tempore, ac ordine sit facienda executio sententiæ? Resp. I. In actionibus, seu causis civilibus sententia a iudice lata non est illico mandanda executioni, sed est expectandum saltem per decem dies. Ita communis; et ratio est; quia ante elapsum decendium sententia necdum transit in rem judicatam; imo ab eadem potest adhuc condemnatus appellare, c. *Quod ad consultationem*. 15. h. t. cum similibus; hac proinde hoc ipso nequit tunc fieri ejus executio.

161. *Et quid in criminalibus?* — Additur notanter in «causis civilibus.» Secus enim est dicendum de criminalibus: nam crimine liquato, ac prolata sententia, non est deferenda ipsius executio, ne detur ansa supplicandi principi pro remissione pœnæ, sicque crimina maneant impunita. Textus est in l. *Cum reis*. c. de *Pœnis*. et notat Bartolus, in l. *Qui ultimo*. n. 5. ff. eod. Pirhing, h. t. n. 100; Layman c. *Quærenti*. n. 2. de *Officio delegat.* citans alios, atque subjungens, quod in imperio criminaliter condemnatis remedium appellationis non concedatur.

162. Fatendum tamen, quod Abbas, cap. II, n. 2. et 3. h. t. de jure verius esse censeat, non solum in civilibus, sed etiam, et quidem a fortiori in criminalibus, ubi agitur de majori de præjudicio, seu pœna corporali infligenda, ejusmodi sententiam pœnæ corporalis non posse executioni mandari intra decem dies, qui dantur appellandum, arg.

l. *Non tantum*. ff. de *Appellation.* Et hæc sententia merito retinetur in casibus, in quibus reo appellare licet. Nec obstat consuetudo præallegata. Resp. enim, istam ex eo salvari communiter non damnatur quis ad mortem, nisi fuerit sponte confessus, vel ita in facinore deprehensus, aut testibus et argumentis convictus, ut vix ipse negare audeat, l. *Qui sententiam*. c. de *Pœnis*. Nam convictis, et confessis de crimine appellare non licet: et si secus fiat, eorum appellatio non recipitur, l. II. c. *Quorum appellationes non recipiantur*, juncto Summario et doctoribus. ibidem. Unde subintrat ratio ex d. i. *Cum reis*. c. de *Pœnis*, allata.

163. *Si dixerit reus, se velle parere sententiæ, statim ista in actione reali est executioni mandanda.* — Resp. II. Si tamen dixerit reus, se velle parere sententiæ, statim ipsa in actione reali mandanda est executioni. Ita Glossa c. *Quærenti*. §. *Quadrimestre*. de *Offic. delegat.*, et alii. Ratio est, quia quamprimum Definitur, rem non esse possessoris, et hic acquievit sententiæ, vel eam sinit transire in rem judicatam, utique eam ulterius invito domino retinere non potest; ac proinde compelli debet ad rei illius restitutionem faciendam, ejusque una cum fructibus possessionem actori tanquam vero domino tradendam. Et si restituere jussus iudici non obtemperet, vel mendaciter contendat, se non posse illico restituere; tunc erit locus executioni reali, atque manu militari ex officio iudicis transfertur ab eo possessio rei alienæ, l. *Qui restituere*. ff. de *Rei vindicat.*

164. *In actione personali regulariter conceditur quadrimestre ad solvendum. Statim solvere debens, non tenetur illico sacco adire.* — Additur notanter in data conclusione, in «actione reali.» Quia secus est dicendum in actionibus, et debitis personalibus: nam in his tempus a jure definitum pro executione sententiæ, regulariter est quadrimestre, quod condemnato etiam parere, seu satisfacere volenti, conceditur ad solvendum, c. *Quod ad consultationem*. 13. h. t. et c. *Quærenti*. 26. juncta Glossa §. *Quadrimestre de Offic. delegat.* et alibi. Nec immerito hic conceditur quadrimestre: tum quia alteri obligatus actione personali, non detinet rem alterius; prout contingit in obligato alteri actione, seu debito reali, de quo procedunt dicta n. præced.; tum quia «debere statim solvere, cum aliquo temperamento temporis intelligendum est: nec enim

cum sacco adire debet,» ut loquitur textus in l. *Quod dicimus*. 106. ff. de *Solutionib.* junctis concordantiis a Glossa ibid. §. *Intelligendum est*, relatis. Tale autem temperamentum temporis pro solutione debiti personalis, jura statuerunt quadrimestre: quod incipit currere a die latæ sententiæ, text. clar. I, II. et III. c. de *usuris rei judicat.* junctis sacris canonibus proxime citatis.

165. *Quadrimestre illud ex causa juxta potest arctari, vel prolongari; non tamen sine causa.* — Additur etiam, «regulariter est quadrimestre,» quia tempus hoc ex juxta causa potest quandoque arctare, sive abbreviare, vel etiam prorogare, cit. c. *Quod ad consultationem*. h. t. Sine causa juxta tamen id arctari, aut prorogari nequit, juxta Glossam ib. §. *Arctari*: nam, ut habet reg. 17. jur. in 6. «Indultum a jure beneficium, non est alicui auferendum.» Si tamen ab initio sponte qui receperit terminum breviorum, imputari sibi potest, ac debet; cum ex hoc videatur amplius beneficium contempsisse; prout loquitur pontifex d. c. *Quod ad consultationem*. h. t.

166. *Executio sententiæ in debitis personalibus, quo ore, ne in bonis fieri debeat?* — Resp. III. Executio sententiæ in actionibus, et debitis personalibus ita debet fieri, ut primo capiantur res mobiles, et animalia: quibus deficientibus, vel saltem pro debitorum personalium solutione non sufficientibus, deveniendum est ad immobilia, puta ad solum, agros, et hujusmodi: quod si nec ista sufficientiant, tandem perveniatur etiam ad jura. Ita statuitur in l. *A Divo*. § *In vindicatione*. ff. de *Re judicat.* atque simili habetur cap. ult. § *fin. Ul lite non contestata*, etc. Et merito, quia hac ratione fiet executio sententiæ, ut quam minimum noceatur reo; quod suadet ipsa ratio naturalis. Concordant dicta superius tit. XV. *De eo, qui mittitur in possessionem*, etc., n. 24.

167. *Executio sententiæ plerumque spectat ad iudicem, qui eam tulit, dummodo is sit iudex ordinarius, etc. Quid si bona rei condemnati sint in alieno territorio?* — Quæritur II. Per quem fieri possit, ac debeat executio sententiæ? Resp. I. Executio sententiæ plerumque spectat ad eum iudicem, qui tulit sententiam: dummodo is sit iudex ordinarius, simulque bona condemnati, in quibus executio facienda est, sint in suo territorio. Quod si vero bona rei condemnati sint in alieno territorio, vel sub alterius jurisdic-

tione existant, is per «Litteras requisitorias» (ut vocant) requirendus erit a iudice sententiam ferente, ut eandem sententiam in suo territorio exequi velit. Ita desumitur ex l. *A Divo*. § 1. et 2. ff. de *Re judicat.* et c. 1. § *Contrahentes*. de *Foro compet.* in 6. ac notat Engel, h. t. n. 29. et seqq. estque amplius dictum supra tit. II. de *Foro competenti*. § 3. n. 48. et seqq. loquendo in specie de clerico, qui in una diœcesi habet beneficium, et in alia commisit crimen dignum privatione beneficii: simulque n. 54. declarando, quid agendum sit, quando iudex debite requisitus non vult exequi sententiam ab altero latam.

168. *Post sententiam latam expirat officium iudicis et quomodo?* Dices. Post sententiam latam expirat officium iudicis, l. *Judex* ff. de *Re Judicat.* ergo is non potest exequi sententiam, sed duntaxat superior ipsius. Resp. disting. anteced. Post sententiam latam cessat officium iudicis mercenarium, quod actioni deservit, et de quo loquitur lex allegata, conced. Cessat etiam officium iudicis nobile, quod consistit in coercendo, jubendo, vetando, juris iudicijque conservandi causa, neg. anteced. Quid autem sit officium iudicis mercenarium, et nobile, ex professo dictum est superius lib. I. tit. XXIX. de *Officio et potestate iudicis delegati*. n. 24. Vel die conformiter textus in c. *In litteris*. 9. de *Offic. delegat.* ac notat Abbas, ibid. n. 2. quod per sententiam diffinitivam non censeatur iudex omnino functus officio suo, sed duntaxat per sententiam diffinitivam executioni mandatam, id est, post factam ejus executionem: quam certo respectu etiam antea, sive post latam diffinitivam, dicatur functus officio suo, eo quod non amplius possit se impendere cognitioni illius causæ; ut cit. l. *Judex*. et l. *Cum quærebatur*. ff. de *Re judicat.*

169. *Delegatus papæ potest exequi suam sententiam, sive per se, sive per alium. Idem dicendum de delegato supremi iudicis.* — Resp. II. Loquendo nunc de iudice delegato, certum est, quod delegatus papæ possit sententiam suam exequi, et quidem usque ad annum, c. *Quærenti*. 26. et c. *Pastoralis*. 28. § *Præterea*. de *Offic. delegat.* Quam etiam exequi potest sive per se. sive per alium, c. *In litteris*. 9. eod. Adeo, ut si delegatus Papæ committit iudicij ordinario executionem suæ sententiæ, iste mandato ipsius obedire, atque sententiam latam exequi teneatur, c. *Significasti*. 7. et cit. c. *Pastoralis*. § *Quia vero*, eod. estque ex professo dictum supra lib. I. tit. XIX.

De Officio et potest. judicis delegat. § 5. n. 102. 103. et seqq. Similiter, quod delegatus alterius principis supremi possit suam sententiam exequi, c. et Pirhing h. t. n. 99. allegans communem; idque probans ex l. ult. c. *de Judiciis*; et Menochius, lib. I. *de Arbitrar. judic.* quæst. 74. n. 43., citans alios. Quamvis nonnulli contrarium affirmant, spectato jure Cæsareo.

170. *Quid dicendum de delegato ab inferiore principe, puta episcopo.* — Num vero delegatus ab inferiore principe, puta ab episcopo, possit sententiam a se latam exequi, variant doctores. Et quidem negativa sententia est communior, per textum in l. *A Divo.* § 1. ff. *de Re judicat.* ubi dicitur: «Judicium a se datorum, vel arbitratorum sententiam exequantur ii, qui eos dederunt.» Favet ad idem textus in c. *Si quis contra 4. de Foro compet.*

171. Verum Glossa in cit. c. *Si quis contra* vers. *Ipsius sollicitudine* tenet oppositum. Quia ex quo (inquit) judici delegato causa committitur, intelliguntur ei omnia illa commissa esse, quæ ad causam ipsam spectare dignoscuntur, et sine quibus causa expediri non potest; ut c. *Præterea.* 5. et c. *Suspicionis.* 39. *de Offic. delegat.* Nec obstant (inquit eadem Glossa textus n. præced. in contrarium allegati. Quia licet dicatur in eis, quod ordinarius ejusmodi sententiam exequatur, non tamen prohibetur judici delegato. Et quamvis dici posset, priorem sententiam habere locum, quando ordinarius est præsens, tamen eo absente delegatus, vel officiale ejus, exequitur sententias suas: alias perniciosum esse hanc subtilitatem servare. Ita discurrit Glossa.

172. Unde patet, hanc quæstionem esse satis controversam inter doctores. Quia tamen de ipsa uberius jam dictum est supra l. I. tit. XXIX. *De officio et potestat. judic. delegat.* § 2. n. 45. 46. et seqq. et § 5. ibid. n. 410. superfluum foret, eadem hoc loco repetere. In praxi proinde attendendum erit tum ad speciales locorum consuetudines, tum ad verba factæ cuiusque commissionis: nam quandoque actualiter, et expresse, per superiorem committitur delegato suo non solum cognitio causæ, sed etiam executio latæ circa eam sententiæ, nisi forsitan appellari contigerit.

173. *Tertius interveniens pro suo interesse, atque appellans, potest impedire executionem sententiæ inter alios latæ.* — Quæritur III. Utrum tertius interveniens pro suo interesse, possit impedire executionem sententiæ inter

alios latæ? Resp. I. Quando reus victus non appellavit, vel in appellatione de jure suo non docuit; poterit tertius, qui ex tali sententia se gravatum senserit, intervenire, atque appellando ejus executionem impedire, in quantum tenderet in suum præjudicium. Ita patet ex c. *Cum super.* 17. h. t. ubi Glossa vers. *Interposita.*; Joan. Andreas n. 1; Abbas, n. 1. et seqq.; Barbosa, in *Collectan.* n. 5. et 6. citans plurimos alios. Ratio est, quia «res inter alios acta, non nocet regulariter aliis:» prout ibidem loquitur pontifex in fin.

174. *Dummodo probet de suo jure; et qualiter probare debeat?* — Intellige, dummodo ille tertius probet de suo jure, atque præjudicio ex sententia contra alterum lata sibi proveniente, saltem summariter. Quia hoc omnino requiritur, simul tamen sufficit ad impediendam executionem sententiæ, in quantum ipsi præjudicaret: quanquam ad obtinendam victoriam in causa principali, atque retractationem sententiæ, oporteat eum plene de suo jure docere. Glossa cit. c. *Cum super.* vers. *Interposita.* et Abbas, ibid. n. 7. ac seqq. et alii; atque probat textus in d. c. *Cum super.* h. t. Nam, cum vertente controversia Aureliensem episcopum ex una, et monasterium Novæ Cellæ ex altera parte, super statu, puta super subjectione hujus, idem episcopus plures sententias pro se reportasset: superveniens episcopus Ovetensis per suum nuntium querebatur, graviter suam Ecclesiam per dictas sententias læsam fuisse, utpote ac quam dictum monasterium perfinere asserebat. Quo audito Papa jussit admitti appellationem, si constiterit eam pro Ecclesia Ovetensi «rationabiliter interpositam:» sicque ad hoc requiritur, ac sufficit summaria causæ cognitio. Verum ad alterum requirit pontifex, ut ad memoratam «appellationem prosequendam nuntius ejus infra legitimum tempus destinatus fuerit; et sic executio sententiæ differatur, ne circa possessionem Ovetensis Ecclesia detrimentum incurrat,» etc.

175. *A sententia inter alios lata appellari non potest, nisi ex justa causa, idque exemplificatur.* — Atque in hoc sensu procedit textus in l. *A sententia.* ff. *de Appellation.* ubi dicitur: «A sententia inter alios dicta appellari non potest, nisi ex justa causa, etc. Siquidem justam causam appellandi habet, qui ex sententia contra alterum lata, sibi præjudicium generari conspicit, ut in casu cit. c.

Cum super. h. t. contigit. Sic etiam, si quis in cohæredum præjudicium se condemnari patitur; possunt alii juste appellare, atque executionem dictæ sententiæ impedire. Idem dicendum in fidejussore pro eo, pro quo intervenit; adeo, ut venditoris fidejussor emptore victo appellare valeat, licet emptor et venditor acquiescant: prout exemplificatur cit. l. *A sententia.* ff. *de Appellat.*

§ VII.

DE EXPENSIS, IN QUAS VICTUS VICTORI EST CONDEMNANDUS: UBI ET DE SENTENTIIS DUORUM JUDICUM CONTRARIA PRONUNTIANTIUM.

176. *Regula est, quod victus victori in expensis sit condemnandus.* — Quæritur. I. An iudex teneatur victum victori condemnare in expensis; et quando secus? Resp. I. Regula est vulgaris, quod victus victori in expensis sit condemnandus. Textus est in l. *Properandum.* § *Sive autem alterutra.* et ibi Bartolus, et Jason, n. 2. c. *de Judiciis.* ubi dicitur: «Omnes iudices sciant, victum in ea pensarum causa victori esse condemnandum, quantum pro solitis expensis litium juraverit: non ignorantes, quod si hoc prætemiserint, ipsi de proprio hujusmodi pœnæ subiacebunt, et reddere eas parti læsæ coarctabuntur. Hæc ibi. Concordat textus in l. *Eum, quem temere,* ff. *de Judiciis,* ibi: «Eum, quem temere adversarium suum in iudicio vocasse constiterit, viatica, litisque sumptus adversario suo reddere oportet.» Hoc ipsum habetur § *Hæc autem.* Instit. *de Pœna temere litigant.* illis verbis: «Improbis litigator et damnus, et impensas litis inferre adversario suo cogatur.» Accedit jus canonicum c. *Finem litibus.* 5. *de Dolo et contumac.* et c. *Contumaciam.* 4. *de Pœnis,* memoratas sanctiones imperiales comprobans.

177. *Et hoc tam in causis civilibus, quam criminalibus, etc. Excepto reo in causa criminali criminaliter intentata.* — Atque hæc regula procedit non solum in causis civilibus, sed etiam in criminalibus; sive procedatur per viam accusationis, sive denuntiationis, aut inquisitionis: nam jura allegata indistincte loquuntur. Glossa fin. c. *Cum dilecti.* 6. *de Dolo et contumac.* et Abbas, ibid. n. 17. Gailus, lib. I. *Practic.* observat. 152. n. 1. allegans alios. Siquidem resectio expensarum judicialium est debita tanquam species pœnæ, injunctæ temere litigantibus ex depositione

juris; ut inquit Card. de Luca, discurs. 39. *de Judiciis,* n. 7. sicque merito locum habet in omni causa, ubi talis temeritas litigatoris intervenit. Quanquam loquendo de causa criminali criminaliter intentata, Henricus Temmen, tract. *de Litium expensis,* cap. VIII. sect. 6. n. 17. et seqq. non immerito distinguendum censeat, an reus, vel actor succubuerit. Quia enim reo ignoscendum est, si sanguinem suum qualitercunque redemptum voluerit, l. I. ff. *de Bonis eorum, qui ante sententiam:* idcirco, quod condemnatus ad pœnam corporis, afflictivam non debeat condemnari in expensis, resolvit idem Temmen, d., n. 17. et seqq. citans Carpzovium, *D. finit forens.* part. I, const. 31, def. 24, n. 7, et alios. Secus, ait, esse dicendum de Actore, seu Accusatore; nisi docuerit, se probabilem, legitimamque accusandi causam habuisse, juxta mox dicenda. Unde

178. *Fallit data regula, quando victus justam causam litigandi habuit.* — Resp. II. Fallit nihilominus data regula cum primis, quando victus justam causam litigandi habuit: quo casu expensæ compensantur, l. *Qui solidum.* § *Etiam.* ff. *de Legat II.* juncta Glossa § *In litis sumptibus,* inde inferente, quod «justa ignorantia excusat a litis sumptibus.» Idem tradit Glossa c. *Finem litibus.* § *Expensas.* et Abbas, ibid. n. 22 et Barbosa, n. 6 *de Dolo et Contumac.* cum aliis. Socinus, in *Fallentis.* reg. 139. fallent. 1. Card. Tuschus, litt. E. concl. 626. n. 7. et seqq.; Jason cit. l. *Properandum.* § *Sive autem alterutra.* n. 2. c. *de Judiciis.* Gailus, ead. observat. 152. n. 3. allegans communem. Accedit ratio, quia, ut proxime dictum, resectio expensarum est debita tanquam species pœnæ, temere litigantibus a jure impositæ: atqui probabilis causa litigandi, excusat litigantem a temeritate; ergo etiam excusare debet a pœna resectendarum expensarum. Quidquid sit de stylo curiæ, ac Rotæ Romanæ, ubi in quacunque causa, quantumvis dubia, semper fit condemnatio in expensis, etiamsi victus justam habuerit causam litigandi; prout refert Card. de Luca cit. discurs. 39. *de Judiciis,* n. 10. et 41. citans alios, sed memoratum stylum reformatione dignum asset, ut in Relatione Rom. curiæ, disc. 32. n. 401. et 403.

179. *Quando quis censeatur habere justam causam litigandi, judicis arbitrio relinquatur.* — Quando autem quis censeatur habere justam causam litigandi, non potest dari certa regula (dependet enim a particularibus ca-